

Huius autem erroris initia ex Marcionitarum dogmate (nondum, enim orti erant Manichæi) quod Coluthianorum antecessit tempora, profecta videtur, dum homines imperitè illud euitare conantur & student. Illi igitur Marcionitæ Deum veteris Testamenti authorem mali, omnique rerum perturbationis constituebant: isti Coluthiani vocis ambiguam significationem non attendentes, nullius mali causam esse contendebant, dumque contentiosè nimium inter se vtrique altercantur, veritatem, vt est in prouerbio, amiserunt. Itaque illis accidit quod ait Horatius Flaccus,

Dum vitant stulti vitia, in contraria currunt.

Tanti est veram verborum significationem percipisse & obseruasse.

CAP. LXVI.

Floriani cur sic dicti. Quis eorum error, & quàm Coluthianis contrarius.

Floriani à Florino, qui è cōtrario dicebant Deum creasse mala, contra id quod scriptum est, Fecit Deus omnia, & ecce bona valde. Ac per hoc quannis contraria inter se dicentes, tamen ambo diuinis eloquijs resistebant. Creat enim Deus mala, pœnas iustissimas irrogando, quod Coluthus non videbat: non autem malas creando naturas, atque substantias, in quantum sunt natura, atque substantia, ubi Florinus errabat.

I - Floriani à Florino.) Omnino vetus est hæc hæresis: non autem post Coluthianos, aut circa eo-